



**Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi**

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos  
Distributa

**Ilsung, Jakob**

**Dilingæ, 1693**

Meditatio CCCXCVIII. Christus Mortem suam palám prædicit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

in Templo occupatum expellendis negotiatoribus,  
& docendis rudibus, & sanandis cæcis ac claudis, teste Matthæo 21. v. 14. nemo tamen ad cænam invitavit. Hæc à Mundo gratitudo pro nostris laboribus exspectanda est. Sic in solis verbis subsistit omnis acclamatio & plausus hominum : sic qui gloriose hominum comitatu urbem ingressus est, desertus ab omnibus, cum famelicis Discipulis egressus est, & Bethaniam reversus. Vide, quid sit laus, honor, amicitia humana; quam vana & inutilia, quam brevia sunt omnina.

## MEDITATIO CCCXCVIII.

*Christus Mortem suam palam  
prædicit. Joau. 12.*

**P**UNCTUM I. *Venit hora, ut clarificetur Filius hominis*  
*Amen, amen dico vobis: Nisi granum frumenti cadens in*  
*terram mortuum fuerit; ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Joan. 12. v. 24. Cim.  
Christus à populo Urbis Jerosolymitanæ propter re-  
centem Lazari quatriduani è mortuis Resuscitatæ  
nem publico applausu, & substratis Palmarum ramis  
exceptus esset, quando asello vectus urbem ingredie-  
batur; *Quidam etiam Gentiles ex his, qui ascenderant, ut*  
*adorarent in Die Festo,* teste Joanne cap. cit. per Apo-  
stolum Philippum ad ipsum Christum adduci peti-  
runt. Ille vero ostendens, tempus nunc advenisse, ut  
Gentibus manifestaretur, modo prius Mortem jam  
fibi instantem subiisset, hujus necessitatem similitudi-  
ne grani in terram seminati declaravit; quod nisi mo-

riatur, sine fructu manet, mortuum autem multum fructum affert. Ex hac autem similitudine confirmat Christus, parem esse necessitatem moriendi cuivis homini, ut fructum Bonorum Operum afferat, vel fructum in Conversione Animarum faciat; qua ratione etiam Sanguis Martyrum Semen est Christianorum, ut isti Illorum Exemplo & Meritis vel multiplicentur, vel in Virtute crescant. Præter Mortem autem violentam, quam Christus & Martyres sustinuerunt, alia est voluntaria, omnibus communiter necessaria; de cujus necessitate & utilitate etiam intelligenda sunt Christi verba: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert, tum intra se in propria Animalia, tum extra se in Animabus aliorum: ad utriusque enim generis fructus necessarium est, ut homo sit planè mortificatus, & se voluntariè privet illico usu Animæ suæ, & omnium Potentiarum tam internarum, quam externarum; quod genus mortis expressit Christus istis proximè subiunctis verbis. v. 25. Qui amat Animam suam, perdet eam: & qui odit Animam suam in hoc Mundo, in Vitam Æternam custodit eam.* Odisse autem est, negare Animæ omnem usum, & Exercitum Vitæ, idque omne, ad quod contra Dei prohibitionem inclinatur. Et hoc est seipsum mortificare, seu privare Animâ.

PUNCT. II. *Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum Ego, illuc & Minister meus erit.* v. 26. Ut Christus Servos suos ad mortem prædictam alliceret, proposuit ipsis suam Mortem in Exemplum, & suam Cælestem Gloriam in Præmium. Vult enim, ut ipsum ubique sequantur, & ipsi configantur in Cru-

404 *Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum.*  
ce, & cum ipso regnent in Cælo. An non hoc est  
æquissimum, & in constantem praxin jam deductum  
à SS. Martyribus, & alijs Sanctis?

PUNCT. III. *Si quis mihi ministraverit, honorificabit*  
*eum Pater meus.* vers. eod. Novum hoc ad mortem  
promptè suscipiendam incitamentum est. Quia  
nim Minister, & Servus Christi jubetur sequi Chri-  
stum, & mori sicut granum, cadens in terram, qui  
quasi per contemptum in agrum proiicitur, occa ob-  
teritur, & terrâ occultatur: ideo pro morte, abjectio-  
ne, latendi studio, & contemptu brevissimo in terra  
promittitur ipsi Honor non qualiscunque, sed tanto  
major, quanto major est, qui Sanctos suos glorificat.  
Quantus Honor igitur habetur à Deo Sanctis in Ca-  
lo, & quam gloriosos eos etiam reddit apud homines  
in terra degentes?

## MEDITATIO CCCXCIX.

### *De Ficu arefacta.*

Matth. 21. v. 18. Marc. 11. v. 12.

PUNCTUM I. *Et alia die cum exiret à Bethania (& Jé-*  
*rusolymam) esuriuit. Cumque vidisset à longe Ficum haden-*  
*tem folia, venit, si quid forte inveniret in ea; & cum veni-*sset ad eam, nihil invenit praeter folia; non enim erat tempus*  
*ficorum. Et respondens dixit ei: Iam non amplius in eternum*  
*ex te fructum quisquam manducet. Et audiebant Discipuli*  
*eius. Et veniunt Jerosolymam. Marc. 11. v. 12. Et aref-*  
*acta est continuò Ficulnea. Matth. 21. v. 19. id est, cap-*  
*arefieri: unde rursum Marcus ait, v. 19. Et cum ve-**